

P R A E F A T I O

*miscē-
tis ini-
micos.*
 tuas oves, alios *aliā confessionis & conditionis ex-
ternā specie*, contra alios velut hostes quotidie
 concitat; & sub confessionis contrā externā
 aliquā *conformitate*, hypocritas, reverā hostes
 impune gregem vastantes, hinc inde miscet.
 Quod si verum est, uti est proh dolor, veris-
 simum: quis clades & miserias hinc ortas,
 vel cogitando consequi, nedum verbis satis
 exprimere aut deplorare possit? Contra
 hoc igitur perditissimi juxtā ac callidissimi
 communis omnium hostis statagema, si gre-
 gi Dei bene, si Satanæ malè cupimus; & nisi
 usque oves tantū fatuæ, sed aliquando et-
 am callidi contra callidum aliquatenus esse
 cupimus: quibuscunque possumus modis
 ante omnia omnes sine dubio vigilare & la-
 borare debemus.

**Sūma
 pleni-
 or.
 Cōmu-
 nis ca-
 pitis &
 funda-
 menti**

II. Sed ut dicta rei summa plenius pau-
 lō & distinctiūs statim hic in initio percipia-
 tur; & ne quid majus quā velim tibi in ti-
 tulo promitti putes: eadem paulō altiūs et-
 iam hoc loco breviter repetenda videntur.
 Et ante omnia quidem certum est inter o-
 mnes Christianos; si quis ita credit & diligit
ut teneat verum Caput Ecclesiae, & verum funda-
mentum doctrinae Christianae; eum pro membro
Christi, & filio Dei & fratre fidelium neces-
sariō habendum esse: nec sine injuriā in De-
um, in Christum, in fratres, imō etiam in sei-
psum, posse à quoquam ut inimicum aut ali-
enum rejici. Si enim quod minimo sit inter fra-

tres